

lendum sane est, quod et permulta sint, et, ne novitii, quibus in manus veniunt, recte proficiant, immane quantum prohibeant.

Postremo loco commemorandum est, quod, qui nullam agriculturae eognitionem habet, ne sentit quidem, quam sit grave incommodum, mensurarum dico insignem inter se in diversis regionibus discrepantiam. Qua quidem efficitur, ut, quae alii scriptis publicant, ea alii, quia diverso calculo utuntur, intelligere nequeant, vel si possint, difficultorem computandi laborem subterfugiant, nec in usum suum comprobata optimo eventu experimenta convertant. Intelligentissimis igitur tantum et studiosissimis agricolis quidem talia possunt, ceteris vero nulli esse usui propter tot et tanta mensurarum cuiusque generis discrimina.

Haec igitur omnia, quae hucusque sunt a nobis enarrata, agriculturae impedimenta, tametsi multis ad hoc usque tempus nodo Gordonio difficilius solvi, atque auferri posse visa sunt, non tamen, opinor, ita comparata sunt, ut nullo pacto removeri queant.

Quare, quibus fere modis facillime illa tolli posse videantur, deinceps paullo fusius exponere constitui. Operae enim pretium mihi videtur, investigare, quomodo ille quaestus, a quo ad rem publicam tantum utilitatis dimanet, levari maxime juvarique possit. Remotis autem, quibus laborat, difficultatibus quaestus maximopere juvabitur. Nihilo enim impeditus liberius exercebitur et, orta per libertatem agricolarum aemulatione, nullus dubito, quin sit indies perfectior futurus. Sed non modo propterea optandum est, ut rei publicae instituta, quae hunc quaestum aut ejus disciplinam ullo modo impediunt, omnia tollantur, verum etiam ad explenda, quanta nunc sunt, civitatum desideria nihil aptius potest esse aut consultius.

Primum omnium vincula, quibus rusticorum ordo constringitur, necessario sunt rumpenda. Et vero ipsum nomen, quod rusticis opprobrio nunc et ignominiae est, ut in posterum honori sit, curandum videtur. Ceteris civibus pares ponendi sunt, ut ne ob locum, quem nunc in civitate tenent, posthabiti, quando negotia facessant, toties impedianter, et ad ceterorum civium societatem admissi animi